

*Julia.*

*Julia* Alpes nomen à Julio Cæsare accepisse videntur, ut qui primus iter per eas muniverit. *Julien* incolis hodie & accolis, quin & *Zelie*, vel *Zulien*, lingua & pronuntiatione Tusca, Z pro I substituto. Extenduntur inter frigidi amnis, qui nunc vulgo dicitur *Wipach*, & Nauporti amnis fontes, qui nunc dicitur, *Laupach*. Per hæc Alpes copias Romanas in Pannoniam semper fuisse ductas, ex variorum auctorum historiis liquet. Solus Ammianus Marcellinus eas antiquis temporibus Venetas appellatas fuisse scripsit, nempe quo tempore omnes hæc Italiae regiones ad Noricum ac Pannoniam & Illyricum usque, sub uno Venetiæ provinciæ titulo comprehensæ essent. Cum vero Pannoniæ essent conterminæ, & ex hac ipsa regione in Italiam militaribus copiis transitum præberent, Pannoniæ etiam appellatæ sunt.

*Flumina ex Alpibus orta.*

Alpibus originem suam debent quatuor nobilissima Europæ flumina: *Padus*, per Italiam in mare Adriaticum defluens, *Rodanus*, per Gallias in Ligusticum: *Rhenus*, inter Germaniam & Galliam finitor, in Oceanum; & postremus *Danubius* (quem ex Alpibus deducit Paulus Merula) longissimo cursu Illyrici provincias emensus, & Euxinum pontum intrans. *Lacus* habent plurimos, quorum præstantissimus est is, qui in editissima montis Cenisii planitie ex vivis perennibusque ortus scatebris conspicitur. Habent & fontes suos, hic calidos, alibi frigidos. Etiam crystallæ plurimæ laudatissimæque in Alpibus perpetua glacie rigentibus reperias. Metallorum feraces sunt, quæ tamen hic erui non patiuntur incolæ. Luxuriant hic varii generis arbores, Abietes, Pinastræ, Piceæ. Nec tantum pascuas herbas gratissima pecorum pabula supeditant, sed & plantas rariores, nec passim obvias, partim à veteribus descriptas, partim adhuc antiquo nomine certa que descriptione carentes. Recensent has Conradus Gesnerus, Iohannes Fabricius, Benedictus Aretius, & Iosias Simlerus, qui & Alpinorum quoque animalium, quadrupedumque, & avium catalogum studiose pertexuit.

*Qui primi Alpes superaverint.*

Nunc qui mortalium primi, & quidem cum exercitibus, rupes has inaccessas transiverint, explicandum, cum, ut Livii verbis utar, in portento prope habuerint majores, Alpeis ab Hannibale superatas & postea à Cimbris.

Primum Herculem Alpes transivisse cum armatis copiis, produnt scriptores antiqui, & ab eo nomen sibi vendicasse Alpes Grajas. quod tamen omne ut fabulosum rejicit Livius. Secundum autem statuunt Hannibalem Pænorum Ducem hac exercitum duxisse, quod gravissimis rationibus refutat Polybius. Iam enim multo ante Hannibalem L. Tarquinio Prisco regnante Gallos & Celtas & Cenomanos cum exercitu Alpes superasse, scripsit idem Livius. Quin & frequentia fuisse Gallicis Italicisque gentibus commercia, etiam ante Gallorum in

Italiam commigrationem, Polybius perhibet lib. 2: Qui (inquit) in Etruscorum principatus inquirunt, eos oportet non ad illam regionem, quam nunc tenent, oculos referre: sed ad campos suprascriptos, & ad opes quas inde colligebant. Adsidebant illis Galli; ideoque commercia cum iis frequentabant. Dein cupiditatis oculis in pulcherrimam hanc planitiem adjectis: arrepta occasione levi, numerofo cum exercitu nihil tale cogitantes Etruscos invadunt; ex regione Circumpadana ejiciunt; atque ipsi agros eos occupant. Livius lib. 5, quinque diversa Gallorum agmina aliis subinde atque aliis temporibus in Italiam transgressa scribit. Primum Belloveso duce per Taurinas Alpes: alterum Elitovio duce, eadem via: tertium Libiciorum; & ipsum eodem tractu: quartum Bojorum Lingonumque Pennino jugo: quintum Senonum, incertum quo itinere. Transcenderunt autem primi, ut auctor est dicto libro 5 Livius, Tarquinio Prisco Romæ regnante, id est, circa annum ante natum Iesum 100 c. Trecenta hominum millia fuisse, quorum pars in Pannoniam penetraverit, auctor est Pompejus Trogus apud Iustinum lib. 24. Alia subinde manus transit annis circiter 300 post, à Gallis illis prioribus Circumpadanis excita, anno urbis conditæ 300 c. l. i. i. Tertius Gallorum exercitus Alpes transit 100 c. l. i. i. anno urbis Romæ 100 c. x. v. i. L. Cornelio Lentulo & Q. Fulvio Flacco Consulibus. Quartus exercitus à Bojis, divisum à Romanis agrum Senonum indignantibus, accersitus est 100 c. l. i. i. anno post proxime dictos, L. Emilio & C. Atilio Coss. anno urbis 100 c. x. v. i. i. Fuisse in hoc exercitu peditum 100 millia, equitum & effedriorum 200 millia refert Polybius. Quintum posthinc Transalpinorum agmen Alpes transit, anno tertio post, M. Claudio Marcello, & Cn. Cornelio Scipione Consulibus.

Post Gallos Alpes numerofo exercitu transisse narrantur Pœni, Hannibale duce, licet quo itinere copias duxerit multum antiqui inter se disputaverint scriptores. Illud certum est, per eam rupem exercitum duxisse, quæ statim supra Augustam Prætoriam terminus est inter duas valles: quarum altera versus Septentrionem ad Summum Penninum brevior atque angustior, vulgo dicitur *Val Pelina* antiquæ jugi appellationis memoriam servans: altera versus Austrum ad oppidum usque Eporediam, multo longissima, vulgo *Val d' Aosta* & *Val di Bardo* vocatur, celsissimis utrimque jugis cincta, vini nobilis & omnis generis fructuum in apricis collibus maxime ferax. mediam secatur Duria amnis. In hanc enim superata rupe equos & jumenta in pabula misit Hannibal, dum ipse Numidarum opera elephantis traducendis iter latius panderet. Vide Strab. lib. 4, in descriptione Alpium. Post Hannibalem Hasdrubal frater Hannibalis eadem qua hic via in Italiam contendit